

Aduersus Marcum beneuentanum Monachum.

Et si plurima sint alia quibus nostrae ab aliorum tabulis differant/singula tamen referre, & superuacuum, & permolestum legentibus esset. Tabulas itaque nostras caeteris omnibus/qua ab aliis ante nos factae sunt/praeferre/satis hucusque dictum comprobatumque esse arbitror. Non possum/inter tot priorum errores/Marci beneuentani monachi inscitiam ac negligentiam praeterire. Is enim cum Ptolemaei opus emendandum assumpsisset/non modo non emendauit/sed in plerisque locis adeo corrupit/ut manifestam implicet contradictionem. Ad quod declarandum/uno dumtaxat contenti erimus eius errore/sed eo quidem/uti & reliqui/impudeti. In septentrionalis, n. lateris descriptione/Italiam/praefer aliam/littore Adriatici pelagi a Tilauempto fluuio usque ad Garganum montem & Hydruntem/terminari dicit. Deinde orientale latus describens/eius terminos a Gargano monte/iuxta litus/Hydruntem usque/esse narrat. In quibus uerbis apertissima est contradictio. Si enim septentrionale latus a Tilauempto fluuio ad Garganum usque montem & Hydruntem extenditur/ quonam modo latus orientale/a Gargano monte ad Hydruntem sit/intelligi non potest. Taceo quod Hydruntem/fluuium esse dicit/cum urbes esse/pueris etiam notum sit. Neque tamen hoc contentus errore fuit/quin Hydruntem/meridionale etiam Italiae partem terminare addidit. Eundem nempe trium laterum terminum ponit/quo nil absurdius esse neminem latere puto. Id uero quod ponit ipse/in nullis numquam aut graecis/aut latinis/exemplariis/ab aliquo lectum est/sed naturali cecitate ac pertinacia ductus/in tam faedos incidit errores. Parumque id profecto foret/ni pluribus aliis in locis errasset. Piget singula referre. Nullam profecto paginam reliquit/qua ille quod plurimis id genus erroribus/non referret. Quod uero in iis qui ab ipso castigati sunt libris/mathematicis/illa demonstrationes/qua in primo & septimo libro sunt/emendatae admodum legantur/id non illi/sed Ioanni Cotta referri debet acceptum/qui ea loca emendauit. Neque enim aut ingenio aut eruditione/cuius nostra aetate Cotta noster cedebat. Sed prohi deus atque hominum fidem/tum cum maxime floretet/cum maturum iam ingenium non spem modo sui magnam polliceretur/sed uberrimos iam fructus ferre inciperet/importuna sane & imatura morte/non sine maxima bonarum artium iactura/trigesimo aetatis anno/ proxima aestate/Viterbii decessit. Quae mihi mors tanto dolori fuit/ut nunquam fatis doliturus uidear. Cum enim unice illum amabam/tum tantam spem de illo conceperam/quanta de praestatis cuiusdam ingenii uiro/& maxime in studiis assiduitatis ac laboris/concipi debet.

Annotatio in Sextam Asiae tabulam. De Carmania.

Vnum hoc ab iis qui tabularum nostrarum figuras uiderint peto/ut Carmaniae descriptionem quam nos in sexta Asiae tabula ab aliis diuersam aliqua ex parte fecimus/admittere non indignentur. Hanc enim temerario quodam ausu nostro/licet numeris aduersetur/neque Ptolemaei est uerbis respondeat/quod tamen ueritati consonare certo scimus/ita describendam/satis fore duximus. Antiquorum namque recentiorumque nauigantium autoritate suasi/meridionale Carmaniae latus/plusquam a Ptolemaeo dicat/in mari indico Austrum uersus produximus. Strabo Carmaniae describens promontorium ipsius quoddam/in indico mari ad Austrum satis extensum esse refert. Arianus etiam graecus auctor admodum grauis/Nearchi cuiusdam/classis Alexandri regis praefecti/nauigationem per loca illa in suo quodam commentario narrans/littus omne ab Arbis fluuii ostiis ad Cassiam usque/austrum uersus/in indico mari productum esse tradit. Lusitani etiam nauigantium omnium peritissimi/meridionale oceanum soli tempestate nostra ausu tentare/Carmaniam attigerunt/in qua famigeratum adeo emporium/Calichuth appellatum/inuenere. Ii referunt illam Carmaniae partem quae ad Austrum tendit/sic in indico mari productam esse/uti nos/eorum relationibus/non minusquam antiquorum dictis inherentes/eam produximus. Strabonis itaque Arianique auctoritate/nec minus certissima Lusitanorum nauigatione suasi/Carmaniae satis ad Austrum produximus. Quod & si Ptolemaei commentariis aliqua ex parte/non tamen ipsi penitus aduersari crediderim/cum libro primo ipse etiam dicat/recetioribus semper magis credendum fore. Id ergo temerario quodam ausu nostro egimus/cui Ptolemeus est/si nos audiret/alsensurus fuisset non dubitamus. Et propterea numeros Carmaniae littora terminantes/ueluti ab Ariano primum/ac demum a Lusitanis/qui loca illa ad nauigantes/eorum posituram situmque recte obseruarunt/nobis traditum est/addidimus: illosque annotationibus hisce nostris subiunximus; Ptolemaei Carmaniae describentis uerba imutare minime ausi.

De uniuersali habitabilis figura cum additionibus locorum nuper inuentorum.

Placuit insuper uniuersae habitabilis figuram/cum iis omnibus quae recetiorum nauigationibus reperta/& nobis tradita sunt/ex nostro addere. Quam nulla tamen ex parte/ab uniuersali Ptolemaei descriptione differre sentias/modo illa quae Ptolemaeo ignota fuerunt demantur. Id uero ea tamen ratione egimus/ut uideant qui Ptolemaeam damnarunt/quod nihilo nostri temporis nauigationibus/ac ueritati/modo neglectis prioribus numeris uerba obseruentur/aduersari uideantur.

Carmaniae descriptio secundum Arianum & Recentiores iuxta formam Tabulae

CARMANIA terminatur a Septentrione ab exposito meridionali latere Carmaniae deser-

ta: ab oriente Gedrosia iuxta psicos montes in linea per ipsos emissa/a fine. i. Carmaniae deserrae: